

ceire contra Dei præceptam, aut migrare ex hoc seculo, eligit Deo dilecto mori, quam offensio viuere. Qui sic odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam, hic animam suã pro seipso ponit, & pastoris veri hereditatem accipiet in futuro.

Aliam quoque hic pro populo elicitur doctrinam, vt scilicet mercenarii quamuis quo ad seipos sint reprobi, non tamẽ idẽo à populo spernẽdi, quia populo viles sunt, & necessarij. Hęc doctrina sententialiter est beati Augustini vbi supra, ait enim: Mercenarius & culpabilis est, & necessarius, quia in alio quo vtilis est, nec mercenarius dicetur, nisi acciperet à conducente merce dem scilicet pro laboribus. Sed quo modo necessarij sunt, infra, ostendit dicens: Audite quia necessarij sunt. Multi quidem in ecclesia commoda terrena scãtãtes, Christum tamen prædicant, & per eos vox Christi auditur, & sequuntur oves non mercenarium, sed vocem pastoris pro mercenarium. Audite mercenarios ab ipso domino demonstratos. Scribã (inquit Matth. 23.) & pharisæi super cathedram Moysi sedent, quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Quid aliud dixit, nisi per mercenarios vocem pastoris audite? Seden do in cathedra Moysi legem Dei docet: ergo per illos Deus docet. Sua verò illi si velint docere, & audire nolite, nolite facere.

Tales licet sua quærant, non quæ Iesu Christi, nullus tamen ausus est dicere populo Christi: Tua quære, non quæ Iesu Christi. Quod enim male fecit, non prædicat de cathedra Christi. Botrum ergo carpe. Spinam caue. Botrum non de spina exortum. Nunquid (ait dominus) colligunt de spinis viuas? Matthæi 7. sed de radice vitis spinis incubantis genium. Sicut enim aliquando palme crescit, inferitur spinis, & portat fructum spina, non suum. Cathedra ergo Moysi vitis erat, pharisæorũ mores spinæ. Doctrina verò per malos, palme in sæpe. Botrum ergo inter spinas cautè lege, ne dum quærās fructum

laceres manum. Et cum audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem. Quæ dicunt, facite, eligite vvas. Quæ autem faciunt, facere nolite, cauetes spinas. Etiam per mercenarios vocem pastoris audite, sed nolite esse mercenarii cum sitis membra pastoris. Gaudet deniq; apostolus, quia Christus prædicatur, quia gloria Dei diffamatur, siue per occasionem à mercenariis, siue per charitatem à filiis, ad Phil. 7. Hęc Augustinus adduxi non vt mercenarios excussem, sed vt vos informem, quoniam non ui multos vestrum, & magis eos, qui ceteris religiosiores videri volunt, frequenter oculum habere nequam, plus ad defectuum morum in prædicantibus, quam doctrinæ veritatem dicentes, lumina prædicantium non lucent, opere, quæ dicunt, non comprobant, quid ergo acturi sumus? Sed attendite, quæso, quia omnis prædicans operatur humana, quia ex libertate voluntatis, non autem prædicat nisi diuina, quæ docent scripturæ. Si plus in suis operibus, quam in Christi doctrina confiditis, nisi quid iam maledicti estis: quia maledictus homo, qui confidit in homine: ait Hierem. 17. Nūquid lumine caretis si obtenebrato lumine humanæ actionis lucent lumen veritatis diuinæ: Quod est maius lumen hominis an lumen Dei? Cui magis credendum? homini an Deo? Cauete ne de illorum numero inueniamini, de quibus Grego. vt allegat magister diffinit. 19. quarti, ait: Multi, dum plus viam sacerdotum, quam suam discutunt, in erroris foveam dilabuntur, minus consyderantes quod non eos vita sacerdotum læderet, si humiliter bonis sacerdotum admonitionibus autem accommodarent. Hęc ibi. Nolite ergo caulari vos derelictos, dum etiam per mercenarios pascit vos Deus, qui solus est pastor boni cuius vocem vbicunq; auditis imitami, quatenus per eum introduci mereamini ad pascua sempiterna, ipso præstante, qui cum patre, & spiritu sancto viuunt, & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.